



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 16. Poena lenta dilata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Cocitatis, causa fuit. S. Gregorius mor. l. 7. c. 13. plerumque prius oculus contemplationis amittitur; & post, per carnis desideria, hujus Mundi laboribus animus subjugatur; prout testatur Samson ab Allophyla captus: qui, postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est Cornelius hic. Quarit Abulensis, cur visum illi ademerint? Respondet: quia Samson parentibus dixit, certum sibi esse de alienigena: *hanc mihi accipe; quia placuit oculis meis*. Judic. 14. 3.

Et nati sunt mures. i. Reg. 5. 6. Cur Azotii per mures à Deo puniuntur? quia mures tanquam Deos adorabant, ut Cyrillus Alex. Clemens Alex. August. testantur. Mendoza hic.

Adhaesit caput ejus quercui. 2. Reg. 18. 9. Capillis appensus male perit Absolon; quibus gloriam captasse, & lucrum, visus est. 2. Reg. 14. 26. Drogo Ost. tr. de Pass. crines suos ponderabat ducenis ficiis; unde eodem crine suspensus ad arborem interit. Velloso in Judith 5. Paræn. 26.

Ubi Salomon tria idola coluit, statim tres hostes acerrimos, Adad, Razon, & Jeroboam, expertus est. 3. Reg. 11. 5. 26.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Eficiuntur in tenebras exteriores. Matth. 8. 12. Quia multi in tenebris foedissima perpetrant, torquentur tenebris, quibus fervierunt ad spurcas delicias, Paoletti. D. 25. Pent.

Ligatis manibus ac pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22. 13. Ligare pedes illius confidenter intrantis; ligare & manus ipsius, quæ splendide illum nescierunt ornare vestitu. Vides, quid tum illi acciderit? cave ergo tibi. S. Cyrill. Jerol. in præfat.

Erat Jesus ejiciens demonium; & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Multorum opinio habet, miserum hunc hominem Deum injurium fuisse; & lingua, per verba otiosa; & oculis, per illicitorum visum; & auditu, auscultando, quæ proximo perniciofa. Ut intelligat peccator, quomodo justitia divina iisdem rebus utitur ad vindictam, quibus ille abusus fuit ad offensionem. Did. Niss. D. 3. Quadr. 5. 1.

Ut refrigeret linguam meam; quia cruciabor in hac flamma. Luc. 24. Quare plus cruciabatur in lingua, quam in reliquo corpore? sciendum est, quia solet in conviviis loquacitas abundare; Et quia iste dives splendide epulabatur quotidie; superflua idem verba, & inanitia, loquebatur; ubicunque enim plus peccavit, ibi plus cruciabatur. Haymo Ep. hom. D. 1. post. Trinit. Cruciabatur dives iste in lingua; scilicet pro loquacitate: quia in mensa loquacitati operam dedit. Hugo Card. hic.

Quia plus lingua suâ, & ore, peccaverat. S. Cyprianus l. 1. ep. 3.

§. XV.

Pœna juxta mensuram, & qualitatem, peccati.

In dolore paries filios. Gen. 3. 16. Tu, cum fructu interdicto te non abstinueris, fructu uteri tui misere torqueris. S. Basil. Seleuc. Apud Did. Niss. Phoen. Græc. l. 1. c. 6.

Multiplicabo arummas tuas. Gen. 3. 16. Hæc poena Evæ triplex; totidem illa noxas commisit. 1. Serpenti potius, quam Deo, credidit. *non morieris*. 2. Legem esu fructus à Deo vetiti violavit. 3. Maritum in idem scelus traxit. Ita Rupert. l. 3. in Gen.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Gen. 3. 19. S. Thom. Aqu. hic: ista poena sibi optime competit: quia de ligno vetito gustavit deliciose, ideo debet vivere laboriose.

Extendam super Jerusalem suniculum Samariae, & pondus domus Achab. 4. Reg. 21. 13. S. Chrysof. in Pl. 95. neque enim mensurâ caret divina vindicta; sicut Salvator loquitur. Matth. 7. 2. *in qua mensura mensi fueritis, remittetur vobis*.

Potentes potenter tormenta patientur. Sap. 6. 7. Nam quanto magis aliquid suo contrario resistit, eò postea, si superetur, operatio contrarii sui, quod vicit, est efficacior. Magis resistit ignis ferro, quam ligno: sed cum ignis vincat utrumque, intensior est calor ferri, quam ligni. Stella de cont. Mundi van. c. 99.

Sume calicem vini furoris hujus. Jer. 25. 15. In calice signat poenam, quam Dominus propinavit Judæis, secundum mensuram culpæ. Hugo Card.

Cogitavit Dominus dissipare murum. Thren. 2. 8. Hæc Deo mens. Jerosolymam evertere funditus. Quid inde? *et cecidit suniculum suum*. S. Paschas. quatenus secundum delictorum mensuram poena procederet ultionis. Metitur portiones, & pilulas ponderat, Medicus: sic Deus, cum punit, poenas ex dimenso propinat. Velloso in Judith 7. Paræn. 9.

Numeravit Deus regnum tuum, & appensus es in statera. Dan. 5. 26. Rupertus de vich. V. D. c. 3. sicut omnia in mensura, & numero, & pondere, posuit. Sap. 11. 21. Sic & regnum illud numeravit S. Chrysof. in Pl. 95. cum punit, in trutinâ librat ultionem; pro delictorum modo vicem rependens; ne major, sed congrua sit, commissis.

Nota: quod sicut tria sunt peccata generalia, quæ regnant in Mundo; ita sunt tres punitiones: scilicet guerra contra superbiam; sterilitas, & fames, contra avaritiam; pestilentia contra luxuriam. S. Bernardinus tom. 4. l. 14.

§. XVI.

Pœna, lenta, dilata.

Factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta; & mortuus est. Gen. 5. 5. Primò die, quò ex ligno vetito comedit, mortem meruit; quam tamen non incurrit, nisi post 930. annos. Mendoza in 1. Reg. 15. 2.

Non permanebit spiritus meus in hominibus, & dies illius centum viginti annorum. Gen. 6. 3. Mundus cum primùm corripuit viam suam, meritis est diluvio involvi; quæ tamen ultio non statim inferitur; sed ad annos centum viginti differenda pronuntiatur. Mendoza in 1. Reg. 15. 2.

Aaron colligetur, & morietur ibi. Num. 20. 26. Aaron primò anno peregrinationis in deserto culpam contraxit, permittendo vitulum conslati in idolum. Ex. 32. 2. nec tamen,

nisi ultimò annò, poenâs dedit, Sacerdotalibus vestimentis exutus, & in monte mortuus. Id. ib.

Fractis cervicibus mortuus est. 1. Reg. 4. 18. Heli, cum initio Pontificatus sui filios licenter vivere permisit; mox & præfecturâ populi, & usurâ lucis; indignus fuit: & tamen non nisi post quadraginta annos utrâque denudatur. Id. ib.

Saul 1. Reg. 13. 12. annò, secundò Regni sui, divina præcepta, spernens statim de regno debuit deturbari; in quo tamen finitur annum vigesimum expleri. Id. ib.

Recensui, quaecumque fecit Amalec. 1. Reg. 15. 2. Nemo inaniter speret, se impunè abiturum, cum divina supplicia cunctari experitur: differuntur, non auferuntur. Id. ib.

Exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16. 14. Apostoli die resurrectionis duri, & increduli, erant: & tamen Christus D. non nisi in die Ascensionis *exprobravit* &c. Idem ibid.

§. XVII.

Pœna dilata gravior.

Edisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. Pl. 59. 6. Supplicia vocantur arcus: quia, sicut in arcu, quò magis retrahitur sagitta, & nervus intenditur, eò major est ictus; ita poena Dei, quò magis differtur. Diez. conc. D. 1. Adv.

Terendit arcum suum. Thren. 3. 12. In arcu, quantò longius trahitur chorda, tantò de eo districtior exhibit sagitta: sic extremi iudicii dies, quantò longius differtur; tantò, cum venerit, de illo districtior sententia procedit.

TITULUS XXIII. POENÆ HUMANÆ.

§. I.

In scelerosatos suadentur.

Malos male perdet. Matth. 21. 41. Magis faciendum iniquorum supplicium. Vix scelus ullum tam Deo invisum, quàm iniquitas impunita. Plenus sceleribus erat Saul; & tamen mortem illi Samuel minatur, solum quòd Agag pepercerit. 1. Reg. 28. 17. &c. Achab damnatur, & cum eo Israël: non ob mala innumera, quæ patrârat in Samaria; sed quòd regem Syriæ Benadab, à se devictum, sibi in sacco, & cilicio, per legatos supplicentem, abire permiserit. 3. Reg. 20. 34. 42. *quia dimissisti virum dignum morte.* Oliva lib. 6. Strom. §. Malos male perdet.

Pugnabo cum illis. Apoc. 2. 16. Hugo Card. hic: id est, puniam eos; si tu non punis: & parcam; si tu non parcis.

Bonorum salutem custodit, qui malos puniat. Lactantius l. de ira Dei.

§. II.

Potentioribus non parcendum.

Num vidistis virum hunc, qui ascendit? 1. Reg. 17. 25. Olepores! hæc stupentes de

S. Ambrosius l. 2. de Cain. c. 9. longævitas, Caino indulta, vindicta est. Cornelius in 1. Reg. 15. 2.

Cum audieritis praelia, & seditiones, nolite terreri. Luc. 21. 9. Inter furentia praelia jubentur Discipuli non timere: quia, licet sæviant creaturæ, non tamen statim finis est, non instat ultimi iudicii pugna; solum illud timendum. Bæza t. 2. l. 12. c. 4. §. 10.

Qui multum peccant, magis timere debent, si non puniantur: crescit enim ipsorum poena ex eo, quòd Deus longanimis non ulciscitur. S. Chrysost. hom. 12. in Act.

Multa sunt nunc, quæ in diluvio; sed diluvium non accidit: gehennæ enim poena nunc inter minas est. Multi peccant, qualia hi, qui in Sodomis; sed ignis pluvia non descendit: igneum enim flumen paratum est. Multi ea, quæ Pharaò, ausi sunt; sed non eadem passi sunt, quæ Pharaò; neque submersi sunt in mari rubro: expectat enim illos pelagus abyssi. Multi, quæ Israëlita, ausi sunt; sed non devoraverunt illos serpentes: manet enim illos vermis immortalis. Id. ib.

Miscellanea.

Pesuitque Dominus Cain in signum. Gen. 4. 15. Quod signum fuit tremor capitis: ut sciretur à Domino punitus, & iudicatus; & ita non occideretur ab aliquo: in humanum est enim afflicto afflictionem addere. S. Thom. Aqu. hic.

Quia, homo amore visibilium ab invisibili amore cecidit; sola jam visibilia ex peccati poena cognoscit; eaque diligit, solis eis inhæret; & invisibilia, quasi non sint, postponit. S. Bonavent. de reform. mentis p. 1. c. 16.

gigante mustabant: & cum nemo non intelligeret, castra Dei viventis in circumcisi vocibus profcindi; nullus tamen confurgebat in Goliath; omnes ei obloquebantur, nullus occurrebat. Scandala, & scandalosos, videmus quotidie: & parcimus. Nemo non queritur; sed nullus ferit. *Num vidistis?* quid inde? *Omnes Israëlita stupebant, & metuebant nimis.* Cur timentis? ocreatus, galeatus est; hastam gestat; & loquitur grandia. Maximus est; sed minimis prosterneatur: dummodò adsit David, non loratus; sed Dei nomine munitus; lapillò moles illa aris, & iræ, cadet. Statua illa Babylonica. Dan. 2. 34. tam splendida, & magna, lapillò unò in favillas redacta est. Audeamus tantum; sed in nomine Domini; & vicimus. Quis potentior Amanò? Si tamen audeat Esther; pendebit in patibulo damnatus ab ipso rege. Esth. 7. 10. Oliva l. 9. Strom. §. Num vidistis.

Vide L. J. t. Judex.